Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31907
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

derit sine dubitatione pascha celebremus. Si vero in dominicum inciderit omnino in septimana sequente ut sepius dictum est differamus. propter eas quas prefati sumus causas. His ergo demonstratis atque patefactis. hoc etiam considerandum est quod lex frequenter causa necessitatis eos qui constrictione temporis quadam non potuerint in primo mense pascha celebrare secundo idem facere precepit. Melius est enim in necessitate positos superiora. quam inferiora sectari. Quoniam inferiora a superioribus continentur. superiora autem ab inferiori numero non includuntur. Illud iterum quod iam posuimus declarantes quod decimus numerus nonum intra se contineat. nonus autem decimum continere non possit. Quod si lex ad secundum mensem transire nos precepit si non possumus secundum pascha primo mense celebrare propter quasdam necessitates. non intelligo cur non si .xiiii. in dominicum diem incurrerit. luna in septimana sequentem rationabiliter dilationem pasche facere debeamus. manente primo mense et .xv. luna in qua saluator crucifixus est. manente etiam et .xvii. quando post triduum resurrexit. ubi primum dominicus resurrectionis Christi dies fuerit uarie refertur. Et quidem ut superius memorauimus quidam .viii. kalendarum aprilium. non nulli vero kalendarum earundem die fuisse asseuerant. Ubi notandum quia si .viii. kalendarum memoratarum ut antiquiores scripsere. resurrectio domini facta est quintus profecto circuli decennouenalis tunc agebatur annus. habens concurrentes .vii. et lunam .xiiii. sicut semper .xi. kalendas aprilis. Si autem .vi. kalendas aprilis dominus resurrexerit. tercius decimus circuli prefati annus extitit .v. habens concurrentes. et lunam .xiiii. ut semper .viiii. kalendas aprilis. Porro si quinto kalendarum supra scriptarum resurrectio celebrata est Christi. secundus circuli decennouenalis existens annus. concurrentes habebat .iiii. et lunam .xiiii. sicut semper .viii. kalendas aprilis. que cuncte .xvii. lune in qua die dominico prima sacro sancte resurrectionis sunt acta mysteria cursu panduntur in dubio. Tamen diligentissime cauendum ne hanc .xvi. luna ut quidam patiatam confirmando. non solum ineuitabile nostre calculationis dispendium. scilicet et grauissimum katholice fidei incurramus periculum.

De luna ipsius diei. LXII.